



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

I. Meditatio: De Morte bonorum & malorum

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)



# DIES QUARTA

*Sancto Angelo Custodi con-  
secranda.*

Oratio jaculatoria hujus diei  
erit ista: *Cupio dissolvi, &  
esse cum Christo, ad  
Philippens. 1.*

## MEDITATIO I.

*De Morte.*

Eam, tempore Exercitiorum Spiri-  
tualium, in consideratione esse debere,  
innuit S. P. N. in Regulis bene eligendi,  
dum ait: *Si mors ingrueret, quem me mallet  
observasse modum?*

ORATIO PRÆPARATORIA, &  
PRÆLUDIUM I. *ut supra.*

PRÆLUD. II. Pete à Deo gra-  
tiam, parandi te ritè ad mortem.

PUNCTUM I. Audi Deum dicen-  
tem, Isaiaë 3. *Morieris tu, & non vi-  
ves.* Morieris infallibiliter; sed quando,  
in quo loco, in quo statu, in qua ani-  
mi dispositione, volo te latere, ut ita  
te disponas, ac si hodie, hoc momento

esses moriturus. Morieris, ampliùs ad vitam non revocandus, nisi in die iudicii: ne ergo in tali casu unico exeres, vide! Morieris, & dum tibi mors oculos claudet corporeos, aperiet oculos animæ: videbis in morte aliter omnia, quàm nunc vides & iudicas. Disce ergo sic æstimare res, ac si morituriens esses. Morieris, spoliatus omnibus, solis æternitatis lucris in toto & tuto manentibus. Morieris, & cadaver fies exosum omnibus: quid ergo nunc hominibus placere vis? Ô vanitas! Ô cæcitas!

II. Audi Deum dicentem, Psal. 33. *Mors peccatorum pessima.* Et considera conditionem hominis in peccato morientis. Nam. 1. Sentiens dolores dupliciter cruciatur: & in corpore, dum illos sustinere cogitur, & in animo, dum illos impatienter fert. 2. Ex omni parte angustias patitur: conjiciens in Coelum oculos, iratum sibi videt Deum: retrò respectans, ad intuitum plurimorum dæmonum, animæ ipsius inhiantium exhorrescit: deorsum flectens lumina, videt paratas inferni fauces: ante se videt severum Christum, cujus conculcavit Sanguinem: intus mordacem Conscientiæ vermem sentit. Si forte horologium sonat, tali cor ejus pulsatur sono, *tempus non erit amplius.* Si spectat collectanea sua, dicitur illi: *Et hæc quæ parasti, cujus erunt? ac tan-*

dem in desperatione positus animam  
dæmonibus, quibus obtemperavit in  
vita, relinquit. Ecce, ne tali morte  
moriaris, Deus tibi gratiam dare para-  
tus est. Vide ergo, ut vivas Deo, si vis  
mori Deo.

III. Audi Deum dicentem per Psal-  
mistam, Psal. 115. *Pretiosa in conspectu  
Domini, mors Sanctorum ejus.* Pretiosa. 1.  
Quia dolores, quos sentiunt, volunta-  
te Dei & morte Christi dulcorant. 2.  
Quia mortem naturaliter horribilem se-  
curè expectant, & tanquam vitæ ja-  
nuam exoptant, ut tandem Deo fru-  
antur. 3. Quia si vident dæmones, eos  
non verentur, quos suffulti à Deo to-  
ties vicerunt. 4. Quia deserere mundum  
non est illis grave, qui pridem illum  
jam deseruerunt. 5. Quia vident inter-  
dum B. V. vel alios Sanctos Patronos,  
quibus specialiter addicti erant. Quia  
in actibus Fidei, Spei, Charitatis, desi-  
derii videndi Deum moriuntur. Ecce,  
tali morte mori potes, imò debes, Re-  
ligiose: ita ergo vive, ut sic moria-  
ris.

COLLOQUIUM. JESU mi, mi JE-  
SU agonizans in cruce pro me! indig-  
nissimus quidem sum Spiritu tuo, quia  
tamen ponis animam tuam pro me;  
peto à te, ut tibi conformis moriar:  
immitte in cor meum, ultimum Spiri-  
tum tuum, & vivifica illo miseram

animam meam. O JESU mi, agonizans pro me! In fine, Pater, Ave, & Anima Christi, &c.



## DOCTRINA PRACTICA

Tempore matutino diei  
quartæ relegenda.

*De tempestiva preparatione  
ad Mortem.*

**Q**UAMVIS à nonnullis Viris asceticis ita describatur Religiosus: Religiosus est anima moerens ac dolens, indefinenti mortis memoriâ: nihilominus tamen videre persæpè est, Religiosos non usque adeò ad mortem, prout par erat, paratos mori: necesse igitur est, Religiosum mortis suæ horam, cum debitâ animæ præparatione præstolari: præparatio autem potest esse ista.

1. Habeat Religiosus singularem affectum erga pretiosissimam Dei Matrem, quotidieque eam peculiari cultu veneretur, ut per eam impetret felicem mortem; potissimum verò, quotiescunque eam salutatur, cum reflexione & affectu proferat illa verba: *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ.* Cultum hunc

Matris Dei esse solatio in morte ; probavit P. Joannes à Campis Montensis, Deiparæ devotissimus ; ejus enim Rosarium perpetuò volebat manibus ; ejusdem Officium quotidie cum 5. Psalmis, qui litteris Sanctissimi ejus Nominis respondent, recitabat ; singulis Sabbathis ad Novitios, cum quibus diu habitavit, se conferebat, eisque Historiam aliquam de Deipara narrabat. Ille ergo sub mortem, infuetâ lætitiâ perfusus, Patri cuidam dixit : O si nôsses Paterni, quantum in morte adferat solatium, Deiparam singulari studio coluisse ! *Annua Colleg. Tornac. 1601.* Nec morti solùm nostræ favet Parens vitæ, sed etiam post mortem curam nostrî gerit ; apparens enim Patri Hieronymo Carvalio dixit, magnam se gerere curam pro hominibus Societatis vitâ functis, ut è Purgatorio liberentur. *P Nieremb. de Amor. B Virg c. 12.*

2. Deligat Religiosus aliquod tempus, singulis Hebdomadis, e. g. die Dominico, vel alio festo, quo non interveniunt complures occupationes, & eo tempore, segregatus ab omni conversatione, in Templo, vel alio loco, ita secum disquirat ; si mihi nunc moriendum esset, quò animò, quâ præparatione morerer ; éstne aliquid, quod tunc conscientiam gravaret ? & si quid ejusmodi repererit, doleat, emendatio-

nem proponat, & pro confessione non differenda adnotet.

3. Singulas sacras Communiones, per modum Viatici sumat, & cum eis actibus, quos sumendo Viaticum exerceret: quis enim nos melius ad adventum Christi Judicis nostri in morte præparare potest, quam ipse Judex, qui nunc est cibus noster, & quem qui manducat, vivet in æternum.

4. Quales Virtutum actus exerceri solent cum moribundis, & quales in extremo agone elicere vellet, eorum in vita habitum contrahat: tales sunt actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, Fiduciæ erga B. V. resignationis in divinam voluntatem, desiderii videndi Deum, &c. In his igitur actibus frequentandis habitum in vita contrahat, fiet, fietque, ut morienti actus iidem in mentem recurrant: sicut enim umbra correspondet rebus, quarum est umbra; ita actus mortis correspondent plerumque actibus vitæ, & sicut plectitur hæc poenâ peccator, ut moriens obliviscatur suû, qui vivens oblitus est Dei, ita hac misericordiâ præmiatur justus, ut moriens recordetur Dei, qui vivens oblitus est suû, ut esset per frequentes actus memor Dei.

5. Præter pretiosissimam Dei Matrem, eligat alios etiam Patronos mortis suæ, quos eo fine quotidie colat,

iisque mortem suam commendet. Ex  
 his Patronis sit S. Michaël Archangelus,  
 itemque S. Angelus Custos proprius, in  
 quorum honorem destinet, æternoque  
 jure illis inscribat (salvâ oblatione pro  
 animabus Purgatorii) omnes actus  
 amoris Dei, quoscunque totâ vitâ eli-  
 ciet; præterea quotidie eos invocet.  
 Iisdem Patronis adnumeret specialiter  
 S. Barbaram Virginem & Martyrem,  
 in cujus honorem destinet, & pleno  
 jure ei inscribat omnes Sacras commu-  
 niones totius vitæ, salvâ itidem obla-  
 tione fructus satisfactorii pro anima-  
 bus Purgatorii; præterea quotidie in-  
 vocet illam manè & vesperi. Adlegat  
 insuper ubi Filius Societatis in patronos  
 mortis Sanctos Societatis, nempe S. P.  
 Ignatium, S. Franciscum utrumque, B.  
 Stanislauum, B. Aloysium, & alios NN.  
 in quorum honorem omnes actus mor-  
 tificationis totius vitæ destinet (salvo  
 jure animarum Purgatorii) & quotidie  
 singulariter eos invocet.

6. Ad Dominum JESUM agonizan-  
 tem in Cruce Religiosus peculiariter sit  
 devotus, quotidieque tempore meridia-  
 no ad pulsus, qui solet dari pro salu-  
 tanda Dei Parente, Salutationibus An-  
 gelicis adjiciat hanc Oratiunculam: *JE-  
 SU mi, mi JESU, agonizans in cruce pro me-  
 memento agonia & mortis tua pretiosissima;  
 momentum agonia & mortis meæ dedico, offero,*

*unio cum agonia & Morte tua; sit mors tua  
vita mea, ô JESU mi!*

7. Quotidie conferens se ad somnum, instituat Religiosus praxim mortis, usitatam olim Patri Gaspari Druzbecki, vitam caelestem planè in terris ducenti: Praxis hæc est ejusmodi. 1. Decumbe in lecto, veluti amplius ex eo non surrecturus. 2. Toti mundo, rebusque ejus valedic. 3. Testamentum spirituale ratifica. 4. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, atque Extremam Unctionem spiritualiter sume. 5. Elicias breviter actus, quos in morte velles elicere: *Credo, Spero, Amo super omnia! Doleo ex amore tui; Condone omnibus inimicis meis omnia. Fiat voluntas tua! desidero videre te, &c.* 6. Agonizanti in cruce Christo, & articulo mortis ejus, & pretiosissimæ Parentis ejus, omniumque Electorum, articulum mortis tuæ commenda, & uni. 7. In manus Sanctissimæ Trinitatis, JESU Christi, B. V. omniumque Electorum, Spiritum tuum trade. 8. Ultimo veluti anhelitu nomina, JESUS & MARIA, ingemina, sicque obdormi.

8. Peculiariter Religiosus sit addictus studio disponendi moribundos; non patietur enim Deus malè mori eum, qui aliis ad bene moriendum profuit, interdumque Deus hoc studio post mortem punit defectum zeli circa animas in

vita commissum, quod tali historiâ comprobat P. Jacob Hautinus. *Lib de Commun Generali, parte. 3. sect. 8.* Sacerdos quidam Societatis nostræ præbuit se videndum post obitum suum, alteri ejusdem Societatis Sacerdoti, viro gravissimo Religiosissimoque, & narravit inter alia, ex quo esset è Purgatorii suppliciis emissus, varias Urbes & Provincias sibi esse lustrandas, quòd vivens zelum exercuisset remissius, atque ita Tutelarium Angelorum ritu jussu se moribundis assistere. Retulit hoc P. Florentius Montmorencius, qui, cùm eo tempore ageret Provinciale, de tota re edoctus est per litteras ab eo Patre, cui mortuus apparuerat.

9. Agonizantium memor si Religiosus quotidie, & pro iis oret, quotiescunque dicit: *Fidelium anima per misericordiam Dei requiescant in pace*, conjungatque semper Orationem pro animabus in Purgatorio Orationi pro agonizantibus, ex quorum momento pendet eorundem Æternitas, & qui sunt auxilio suffragiorum egentissimi: *Qui autem intelligit super egenum & pauperem, in die mala, & à die malæ mortis, liberabit eum Dominus Psal. 40.*

